

lomæus quondam D. Odorici venit de Comitatu Tyrolis (a) post ipsum insultum nobis datum, & reperit nos de Maniaco in gravibus guerris & discordiis, specialiter nos de Maniaco cum prædictis de Meduno: & Arbæ campanile ad terram dejeramus, & villam cremari feceramus. Post vero dicti Bartholomæi adventum, ipse potenter & animose procedens ad guerram, sapissime cum sociis tam de Contrata, quam Forensibus ipsos de Meduno invadens, eos bellicose destruxit. Et quasi omni die nostri per montes, & per planum eos infestabant & destruebant; & eos ad tantum deduxerunt nostri prædicti, quod contentio gravis inter ipsos Confortes de Miduno facta est. In qua discordia Joannes grandis quondam D. Francisci, & Joannes parvus ejus nepos expulerunt S. Jacobucium quondam S. Nicolusii; quia iste Jacobucius, & Thomasutius quondam S. Philippi ejus consanguineus condolebant esse cum hominibus Maniaci in discordia; videntes contra nihil posse, nisi pati ultimam destructionem, ut eis apparuit in posterum. Tunc tractatum habuerunt ipsi Jacobucius & consanguineus de Mense Julii cum eorum villicis: ipsos Joannem grandem, & parvum expulerunt: & Castrum in se servarunt ad honorem ligæ Utinensium. Et miserunt in Maniaco per fucursum sociorum, quibus nos de Maniaco ad sufficientiam misimus socios, qui cum eis habitabant: habentes continue Castrum nostri focii in custodia. Et in prædicta guerra nostri de Maniaco finaliter destructionem dederunt villæ Arbæ; arcas, arcilia, vasa, brentas, & alia supellectilia Maniacum ducentes; & quod ducere non poterant, cremabant, nihil penitus dimittentes.

Et nota, quod regnante guerra inter nos de Maniaco, & ipsos de Meduno; homines Fanæ satis aperte, sicut nos de Maniaco, sentiebant ire contra ipsos sive per villam Fanæ, sive a parte inferiori, vel per montes; sicut nos, ire sentiebant, per signa fumi vel nuncios eis nota faciebant. Et in hoc magna inimicitia regnabat inter nos de Maniaco cum ipsis de Fana, ac ipsos de Meduno. Certe de Fana, specialiter Articus Bosdrani, & Conradus Palmæ; qui tamen per nostros adversarios fuit interfectus, & ductus cum uno altero in Fana (nomine Vignudissius) per gentes Domini Paduæ versus Turrim: & super via, vel extra mortuus fuit, & abscondus; quod de eo penitus sui nihil sentire potuerunt; & sicut meruit, sic mercedem suscepit. Prædicti vero Articus, & Conradus, & alii circa Bastiam ipsos de Meduno retinebant abscondos, ut hora aliqua dicti nostros euntes Fanam possent capere, & deprædare. Et consentiebant, & consenserunt, quod quidam Wricus Boemus, familiaris Dominorum Luchini & fratrum, fuit in Villa captus, vadens locum D. Nicolao: & sic per ipsos de Fana nos de Maniaco male tractabamur. Et multoties nostri capientes captivos prope villam Arbæ, & super dominio ipsius villæ, vel multoties animalia grossa & minuta. D. Nicolaus habitans Mizzæ, Maniacum suos nuncios mittebat, rogando ut relaxarent cum blandis verbis: cui sæpius complacuiimus, non propter parvum ipsius tamen, sed quia gentes Domini Paduæ stantes in Turri, in Valvasono, & aliis locis non requireret ad nostram læsionem, sicut bene doctus in malitiis facere sciebat.

Et penes se habebat quemdam Fratrem Christophorum Abbatem Fanæ, genere Romagnolum, nequiter contra nos de Maniaco laborans consilii penes ipsum D. Nicolaum, ad omnia nostra nocumenta invigilans cum ceteris aliis rusticis de Fana;

(a) Anno 1386, ut supra.

quos ipse D. Nicolaus deputavit ad regimen villæ Fanæ: sicut fuit quidam Panta, Nicolusius de Mielo, quibus eorum animositas prava ad regimen male successit, ut inferius de veritate narrabitur. Iste D. Nicolaus de consilio ipsius Abbatis & Deputatorum fecit ultra annum continue fieri foveas circa locum, Spinatas, Spaltos, Domunculas, & quod omnes de Fana conducerent sua in Mizza; ostendens, se de ipsa guerra nihil velle impedire, & cum aliqua partium ad læsionem alterius nolle se immiscere, dicens: volo stare pacifice, & cum nulla partium partem capere; sed si quis me offendet, me ab eis defendam, & pro mei defensione me fulcio, sed non ad læsionem alicujus. Et tamen consentiebat, quod quidam Thias, filius Leonardi Pagniti, stabat in Turri, & veniebat in Fana: & tanquam fur de nocte veniens contra nos de Maniaco, si poterat, recipiebat; ostendens D. Nicolaus condolare, licet nihil erat; acciciens, si contingat eum ad manus suas pervenire, ipsum statim suspendam. Quem uno die cepit, eumque posuit in carceribus, & venit ipso die Maniacum, dicens: habeo in carceribus meis Thiam, vere meis manibus ipsum suspendam. Et ipso die recessit, & ivit Fanam, & eum illæsum abire permisit. Et videntes nostri de Maniaco, sic fecisse beffas de nobis; & quod iste procedebat plus ad damna nostra, quam primo; uno sero dum iste Thias venisset ad domum patris, certi nostri focii ipsum stantem in (b) trabeato patris super fenum, invaserunt & percusserunt fortissime, & fratrem ejus qui ad rumorem venire voluit: & plus fratrem, quam ipsum percusserunt, & putabant ipsum interfectum dimisisse. Tamen liberatus ipse, & frater, sed exterritus, ad alias partes transmeavit: nosque quiete postmodum permisit. Ita quod tacite, & aperte nos prædicti de Maniaco multum lædebamur. Et vere nostri juvenes pastores ibant prope locum Meduni. Receperunt capita grossa bovorum, & vaccarum vigintinovem de pulchrioribus, quæ ipsi haberent. Itaque ipsi de Meduno, se videntes contra nos de Maniaco nihil posse facere, tunc acceperunt tractatum habere antedictum inter seipsos dicti Domini de Meduno; propter quod, ut inferius describetur habuisse guerram, a nobis destructi sunt dicti Domini de Meduno.

Et in M. CCC. LXXXVII. in fine Octobris, Verona fuit recepta D. Antonio della Scala per Dominum Comitem Virtutum Dominum Mediolani, colligatum Domini Paduæ. Et in ipso Millesimo die (c) Jovis V. Septembris, gentes D. Francisci de Carraria Domini Paduæ, Tarvisii, &c. venerunt ante Terram Sacili in obfessione ipsius: & subito fieri fecerunt pontes super aquam, taliter quod circumcirca ipsam Terram unus ad alium ibat per ipsos pontes; iactantes cum bombardis in ipsis turribus, & domibus; & subito in tanto timore inducti fuerunt Terrigenæ, quod se die Mercurii ibi post sequenti undecimo dicti Mensis Septembris ipsi de Sacilo ipsi Domino Paduæ dederunt. In qua Terra, ut præsumendum est, & dicebatur satis aperte, voluntarie se dederunt, & non constricti; quia in numero gentium existentium in obfessione ipsius Terræ non erant numero ultra duo mille personæ inter homines armatos, pedites, & equites, & bubulcos: & in Terra erat major pars hominum animum habens cum Domino Paduæ. Minor pars non potuit obtinere, D. Joannes de Colloredo erat tunc Capitaneus ipsius

(b) Cod. Maniac. *Toblato*.

(c) Feriæ quintæ conjunctio cum die quinta Septembris patet ex littera Dominicali F. anni 1387.